

bam Verbi Christi. Recitamus etiam talia exempla, non quod delectemur tragedijs aut exitu Virorum doctrina & virtute praestantium, qui profecto commiseratione & luctu digni sunt, sed ut commune facti penis aliorum, adhaereamus ori Filij Dei, nec à Verbo Dei auelli nos patiamur. Et sunt historiae istiusmodi non tradenda oblivioni. Voluit enim Deus annotari historias exitus Dathan, Chore, Abirami, Bileæ, Iudæ, Cerinibi, Arij, atq; hodie Serueti, Munceri, Rotmanni, Gentilis, Syluani Heidelbergæ decollati, & similibus, ut sciamus, Deum adhuc esse iudicem in terris, & verba Christi, quatuor, tria, duo & unum, Hoc est corpus meum, Sic dicit Dominus, Ego sum, Emanuel, Logos, praferamus omni eloquentia, omnibus linguis, & omnibus syllogismis omnium Creaturarum. Sed de his aliàs. Unum commemorare libet de Carlstadio autore discordiae istius tantæ de cena Domini. Sic enim de eo scribit & iudicat Philippus noster, qui quid de alijs, qui Carlstadium secuti fuerunt, iudicavit, aliàs, si opus fuerit, demonstrabimus. Verba autem Philippi hæc sunt: Carlstadius primum excitavit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere aut facere animaduertimus, tantum abest, ut in eo significatio aliqua Spiritus Sancti animaduersa sit: Imo extant manifesta signa impietatis. In doctrina tota solebat ἰσθ' αἰσῆς καὶ νόῦ σοφίας καὶ ἐπι: damna-  
bat